



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Capvt VII. Dissoluitur argumentum quo doceri posse videatur, primum hominem non omni vitioso carnis motu caruisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

*Dissoluitur argumentum quo doceri posse videatur, primum  
hominem non omni vitioso carnis motu caruisse.*

**Q**UOD si quispiam obiecerit, homines illos suavissimi fructus aspectu fuisse titillatos, pellectosque ad mandati propositi transgressionem, ideoque concupiscentiæ eius vitio, quæ gula vulgò nominatur, minimè caruisse: Respondendum erit, eo carnis motu superbiam fuisse priorem, qua ad serpentis suggestionem, iam tum Dei mandatum contemni cœperat, quemadmodum ea res eruditè tractata est à D. Cyrillo libro tertio contra Iulianum. Faciebat, inquit, homo ille primus liberè, id est, expeditè, quod volebat, cum caro nondum affectionibus quæ ex corporis oriuntur, subiecta esset. Vbi autem inpegit in creatorem Deum, mandatum traditum contemnendo: factum est ei initium intemperantiæ cibus interdictus. Inde homo victus est ab improbis voluptatibus, & corporis naturam, peccati subintravit lex: & quasi et contaminata corruptionis radice, germinarunt absurdarum concupiscentiarum desideria. & ferocitè post hac in nobis tanquam indomita bestia voluptatum amor, qui optimis quibusque desideriis oblectatur. Er infra, declarans hoc ipsum ad deplorandam hominis pertinere seruitutem, producto illo Pauli loco, Scimus quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato; quod enim operor, non intelligo: Etenim, inquit, si quis velit tenuiter perspicere genuinam carnis motionè, de ea loquor quæ in absurdissimas affectiones trahit, nò habitat in nobis bonum. Degrauat enim humanã mentem, vt & ipsa incircumspectè velit facere quod illicitum est, & audeat contra libertatè par cum mancipiis seruitutis subire iugum. Hactenus Cyrillus, doctrinæ D. Augustini cõsentanea tradens, quã videre licet explicatã lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 13.